


Wolfart

Officia hom.  
naturalia

erga  
mortuos

1744





M

Dr

Per

Qu





<sup>24</sup> SPECIMEN <sup>480</sup>  
JURIS NATURALIS  
OFFICIA HOMINIS  
NATURALIA  
ERGA  
MORTUOS

COMPLECTENS;

QUO

Illustris GYMNASII Hanoviensis

Dn. PROFESSORIBUS dignissimis meritissimisque  
NEC NON

CIVIBUS ejusdem optimis

VALEDICIT

Perpetuamque sui, ceu Collegæ & Doctoris quasi demortui, memo-  
riam commendat,

CATHEDRAM

Quam per duodecim &, quod excurrit, annos occupavit,

*Fr 2644 1/2* CUM

TRIBUNALI

COMMUTANS

JOHANNES HENRICUS WOLFART

J. U. L.

---

HANOVIAE, Typis Viduae JOH. CHRISTORH. GEBAUER.  
M D C C X L I V.



*HORATIUS Lib. 1. Epist. ad Numic. 6.*

- - - Si quid novisti rectius istis,  
Candidus imperti ; si non ; his utere mecum,







DE  
OFFICIIS NATURALIBUS  
ERGA  
MORTUOS.

§.

O

fficia hominis erga mortuos naturalia sunt actiones, quas homo lege naturali intuitu hominum vita functorum vel per-

*Definitio officiorum naturalium erga mortuos.*

petrare vel omittere debet.

Non omnia officia morte cessare PLATO jam agnovit, dum, ut ex DIOGENE LAERTIO refert ANTONIUS MATTHÆUS in Tr. de Crim. Cap. 3. Proleg. n. 5. tres Iustitiæ species statuit, primam circa Deos, alteram circa homines, tertiam vero circa defunctos versari asserens, atque hos, qui sacra secundum leges faciunt, sacrarumque rerum habent curam, religiosos in Deos ac pios deprædicans, qui vero mutua ac deposita restituum, justos erga homines dicens, illis tandem, qui vita functis iusta persolvunt, tertiam iustitiæ partem attribuens. Multum tamen interest, ut officia erga mortuos genuina à spuris probe discernamus, neque eorundem Catalogum iusto majorem, rationis dictamine repugnante, effingamus. Quem laborem quod in nos suscepimus, eo minus nobis vitio verti poterit, quo certius est, sciendi cupidis non satisfacere, quæ hac de materia apud Doctores Juris Naturalis deprehenduntur, præcipue cum pleraque solam sepulturam respiciant.

A 2

§. 2.



*Fundamen-  
tum officio-  
rum natura-  
lium erga  
mortuos.*

Legis naturalis summa est, ut ea faciamus, quæ nos statum-  
que nostrum perfectiorem reddunt, ea autem omittamus, quæ  
perfectiōni nostræ repugnant Ill. WOLFIUS in *Philosoph. Pract. Univ.*  
Part. I. §. 167. & 168. Hinc lege naturali intuitu mortuorum obli-  
gamur, ut eas actiones, quas propria urget perfectio, perpetre-  
mus, illas vero, quæ eidem repugnant, omittamus; adeoque in his  
actionibus consistunt officia hominis erga mortuos naturalia (§. 1.).

*qua sub offi-  
ciis erga alios  
in universum  
homines qui-  
dem conti-  
nentur, sed  
eum officii  
erga viven-  
tes non pro-  
fus eadem  
sunt.*

Licet vero ex eodem fonte, ex quo secundum (§. 2.) officia  
erga mortuos naturalia promanant, deriventur officia aliis in uni-  
versum hominibus debita THÜMMIGIUS in *Instit. Phil. Pract. Univ.*  
§ 67. adeoque illa ab his non differant, sed potius sub iisdem com-  
prehendantur; officia tamen erga viventes non profus eadem sunt  
cum officiis erga mortuos, cum ad horum perfectiōnem & felici-  
tatem nihil, sicuti ad illorum, conferre valeamus, propterea quod  
anima eorundem extra commercium nobiscum morte constituitur,  
corpus putredine consumitur, nec non status externus, quem in  
vita habuerunt, cessat atque expirat.

Quæ itaque Ethnici docuerunt, *manes defunctorum non esse turban-  
dos*, & ex eodem principio, quod mortuorum quies intertur-  
bari minime debeat, in diversis conciliis atque statutis BONIFA-  
CII Archi-Episcopi Mogunt. in Capit. porro CAROLI M.  
prohibita sunt, mortuum super mortuum ponere du FRESNE in  
*Glossario voc. Bisomum* & BALUZIUS in *Capit. Reg. Franc. Tom.*  
*I. pag. 153.* nec non Pontificii adhuc hodie docent, *sacrificia missa-  
tica pro mortuis esse habenda C. 2. & 4. X. de Celebrat. Missæ*, atque  
*preces pro iisdem inprimis in ipso sepultura actu fundendas esse*, ut *Judici  
suo commendati occurrant*, & *remissionem delictorum percipiant Can. 15.  
Concil. Tribur. apud ECKHART in Comment. de Reb. Franc. Orient.  
Tom. 2. lib. 32. §. 30. pag. 759.* ea neutiquam pro officiis erga,  
mortuos, cum eadem ratio æque ac sacra Scriptura ignoret, re-  
putare possumus.



§. 4.

In Casu Collisionis officii erga se ipsum cum officio erga mortuum illud hoc vin- Regula in Ca-  
 cit. Pone enim te in Casu ejusmodi Collisionis præferre velle offi- in Collisionis  
 cium erga mortuum officio tibi ipsi debito, contra propriam tuam officii erga se  
 perfectionem ages eamque impedies WOLFIUS in Philosoph. Pract. officio erga mor-  
 Univ. Part. 1. §. 152. 224. & 226. Quoniam vero ipsa officia erga tuos tenenda,  
 mortuos requirunt, ut actiones propriæ perfectioni repugnantem  
 omittamus (§. 2.); officium quoque erga se ipsum officio erga  
 mortuum in Casu Collisionis est præferendum.

Sic morbo conflictans immunis erit ab obligatione comitandi  
 funus defuncti licet Parentis vel alterius cujusque fidissimi Amici  
 & insignis benefactoris. Neque ullam meretur laudem filius de-  
 bita defuncti parentis, ut famæ ejusdem parcat, exsolvens, &  
 inde se ipsum in durissimum paupertatis statum conjiciens, vel  
 ad minimum vitæ conditionem sibi duriores reddens. Ne eo  
 quidem obligatio conservandi famam ac existimationem defuncti  
 extendenda, ut propriam famam atque existimationem periculo  
 eandem perdendi vel solum imminuendi exponamus. Ipse eapro-  
 pter PRÆTOR ROMANUS, mitigata Juris Civilis acerbitate,  
 suis & necessariis heredibus potestatem abstinendi dedit, satiusque  
 esse putavit, ut ex duobus, qui pari conditione sunt, potius pa-  
 tris defuncti nomine, quam filii viventis, bona possideantur vel  
 dividantur l. 28. ff. de reb. auct. jud. possid. add. VINNIUS  
 ad §. 2. J. de Hered. qual. & diff. in fin. Cum è contrario intuitu  
 servi, à Domino obarrato heredis instituti, Jus Civile, vi cujus  
 sive velit sive nolit, protinus post mortem testatoris heres sit,  
 retentum, atque eum auctionis ignominiam, qua alioquin de-  
 functus oneraretur, æquo animo ferre debere duplici de causa  
 justum visum fuerit: primum qua rem pretiosissimam & in-  
 estimabilem, libertatem, consequitur; deinde quia quicquid post  
 mortem Patroni sui acquirit, non obnoxium Creditoribus, pe-  
 tita bonorum separatione, redditur §. 1. J. de Hered. qual. &  
 diff. & l. 1. §. ult. ff. de separat. conf. VINNIUS ad §. 1.  
 J. de Hered. instit. n. 1.

§. 5.

Cum, duobus officiis erga alios inter se collidentibus, illi sa- Regula in Col-  
 tisfieri debeat, ad quod major est obligatio WOLFIUS in Phil. Pract. litione officii



*erga viven-  
tem cum offi-  
cio erga mor-  
tuum obser-  
vanda.*

Univ. Part. 1. §. 230. vel ad quod speciali ratione obligamur IDEM in  
Jur. Nat. Part. 1. §. 668. in eo quoque Casu, quo officium erga vi-  
ventem cum officio erga mortuum colliditur, illud alteri præfere-  
ndum est, intuitu cujus subest vel major obligatio, vel specialis obli-  
gationis ratio (§. 3.).

Ita major est obligatio ad opem ægroto ferendam, veluti ut pri-  
stinæ sanitati restituatur, quam ad actum quendam honoris vel  
grati animi externum mortuo exhibendum, quapropter nemo vi-  
tio verterit Medico vel Chirurgo, qui eo tempore, quo ægro-  
tus ope ejus sine ulla mora indiget, atque alius haberi nequit,  
funus defuncti cognati vel Amici comitari omittit, vel ipsum  
comitatum, cui jam præfens fuit, derelinquit. Neque ulla ra-  
tione improbari potest asservatio Scelerorum vel cadaverum hu-  
manorum in usum ac incrementum Anatomix HÖHEISEL de  
mercato Corp. hum. Part. 2. §. 8. vel publica suspensio cadaverum  
sceleratorum, quæ à Magistratu ad terrorem aliis incutiendum  
decernitur GROTIUS de Jure B. & P. Lib. 2. cap. 19. §. 4. &  
Exc. HOMBERGK. in Hypomnem. Jur. Gent. cap. 3. Tit. 12. §. 5.  
E contrario existimatio atque honor mortui Parentis ob specialem,  
quæ hinc ratione personæ subest, obligationem magis nobis curæ  
cordique esse debet, quam existimatio atque honor viventis ex-  
tranei, ubi ille salvus illibatusque esse nequit, huic simul parcen-  
do. Quanquam vero Legislatores Romani laudandi sint, quod  
funus familiare ducentem justaque mortuo facientem in jus voca-  
ti, quæ vocatio in jus quondam privata auctoritate fiebat, &  
quodammodo violenta erat, nec non mortuum lugentes ante 9.  
dierum spatium ullis negotiis judicialibus, moram quippe feren-  
tibus, inquietare prohibuerint l. 2. in fin. & l. 3. ff. de in jus voc.  
Nov. 115. cap. 5. §. 1. justo tamen religiosiores in eo fuerunt  
dùm Militem scriptum à necessitate comparendi, ut observat  
GELLIUS in Noct. Att. lib. 16. cap. 4. exemerunt ob funus fami-  
liare, feriasve devicales, quæ non ejus rei Causa in eum diem collata  
sunt, quo is eo die minus ibi esset. Etenim in iis Casibus, in quibus  
officia majoris ponderis sunt obeunda, præceptum CHRISTI,  
cei optimi & fallere nescii Juis Naturalis Doctoris MATTH.  
cap. 8. v. 22. valet, mortui sepeliant mortuos suos.



Quemadmodum in collisione officii erga viventem cum officio Regula in Col-  
 erga mortuum illud alterum vincit, ad quod major est obligatio, lisione unius  
 vel intuitu cujus specialis subest obligationis ratio (§. 5.); ita non officii erga  
 minus, duobus officijs erga mortuos inter se collidentibus, illud mortuum cum  
 alteri præferri debet, ad quod major est obligatio, vel speciali ra- alio tenenda.  
 tione obligamur.

Multo lauculentius animum gratum erga defunctum benefactorem ostendere possumus beneficiendo liberis ejusdem, ope nostra indigentibus, quam erigendo ipsi Epitaphium vel aliud quodcunque Monumentum honoris; quare, ubi in utrumque sumtus necessarios impendere haud valemus, illud officium omnino huic præferendum erit. Cumque porro speciali ratione obligemur ad honorandos Parentes atque eximios benefactores, justam aliorum censuram incurret is, qui eo tempore, quo funus Parentis vel insignis benefactoris ducitur, funeri remotioris cognati vel alius cujusdam Amici adfuit.

Lugenda est mors Amicorum & benefactorum, non tamen nimis tristitia aliis, Officium in  
 que affectibus molestis indulgendum. Morte enim privari amico & bene- moderato luctu  
 factore malum est fortunæ WOLFIUS in Jure Nat. Part. 1. §. 775. Etu mortis  
 patientiæ vero, quæ solummodo tristitiam circa fortunam adversam & benefactorum  
 moderatur, eandem autem prorsus non proscrit IDEM in Tr. rum consistens.  
 Von der Menschen Thun und Lassen §. 643. neutiquam repugnat, sed potius conveniens est luctus vel tristitia moderata ex morte amici & benefactoris percepta. Cum itaque patientia sit virtus ac perfectio animæ; hinc quoque lugenda est mors Amicorum & benefactorum, non tamen nimis tristitiæ aliisque affectibus molestis indulgendum (§. 2.).

Suo exemplo comprobant Patriarchæ justitiæ hujus luctus moderati Genes. cap. 50. v. 1. & 10. eandemque ipse CHRISTUS lacrymis ad sepulchrum LAZARI effusus comprobavit JOH. XI. v. 35. Nec Doctrina Gentium Doctoris PAULI 1. ad Thessal. cap. 4. v. 13. luctum prorsus improbat, sed eidem tantummodo modum ponit.



qui actionibus quoque externis significari debet.

Cum perfectio hominis requirat consummatissimum omnium actionum consensum THII MMIG. in *Instit. Phil. Pract. Univ.* §. 16. & 17. vultus quoque gestus aliæque actiones externæ, morte Amici & benefactoris eveniente, moderatam tristitiam significare, atque ita comparata esse debent, ut hæc ex illis elucescat (§. 2. & 7.). Quapropter ex ipsis definitionibus decori atque indecori, quas vide apud WOLFIIUM in *Phil. Pract. Univ. Part. I.* §. 194. & 195. apparet, quod ejusmodi actiones externæ hominem eo tempore omnino deceant, è contrario autem eundem dedeçant oppositæ, animum videlicet vel hilarem vel nimis tristitiæ aliisque affectibus molestis indulgentem indicantes.

Hinc eleganter SENECA *Epist.* 99. scripsit: Est aliquis & dolendi decor, hic sapienti servandus est: & quemadmodum in ceteris rebus, ita & in lacrymis aliquid sat est. Imprudentium ut gaudia, sic dolores exundavere. Ubi simul ab eodem notantur qui clarus, cum audiuntur, gemunt, & taciti sunt quietique, dum secretum est, in stertus vero novos, cum aliquos viderint, excitantur, quorumque dolor sine spectatore cessat. Eapropter quoque ex lege SOLONIS à CICERONE *Lib. 2. de legibus* relata, cujus verba sunt hæc: Mulieres genas ne radunto, neve lessum funeris ergo habento; muliebres illas tragædias, in funeribus usitatas, lugubres videlicet ejulationes & lacerationes genarum tollendas esse, recte judicarunt DECEMVIRI conf. SALMUTH. in *Not. ad Pancirolli Res memor. Lib. I. Tit. de exec. mort. pag. m. 728.* In CAPITULARIUM quoque CAROLI M. & LUDOVICI PII *Lib. 6. cap. 197. & 198.* apud BALUZ. *Tom. 1. pag. 957.* expresse cautum reperitur ne in mortuorum funeribus juxta paganorum ritum agatur, & ut pro defunctis amicorum parentes eorum jejunia 30. dies adimplere faciant. Atque de veteribus Germanis jam testatus est TACITUS de *Mor. Germ. cap. 27.* quod lamenta ac lacrymas cito, dolorem & tristitiam tarde ponant. Ubi è contrario mos Getorum prorsus irrationalis fuit, puerperia, referente CAMERARIO in *Hor. subcis. Cent. 1. cap. 12. pag. m. 79.* lugentium, funera autem lusu ac festo cantu celebrantium. Nec sine ratione, EODEM teste, PAULUS de CASTRO testamentum LUDOVICI CORTUSII Jcti Patavini, quo propinquis lacrymas & quæcumque lugubria interdixit, contra vero musicos, Cantores & Citharæodos & tibicines omnis generis usque ad quinquaginta cum duodecim puellis



puellis innuptis viridibus pannis amictis ad funeris sui pompam acciri iussit, pro dispositione hominis non tantæ mentis habuit. Prolixum autem Catalogum actionum externarum atque variorum signorum luctus, quorum perplura tamen rationi repugnant & acriorem merentur censuram, nobis sistit JACOB. in *Diss. de luctu cap. 4.* ubi simul in *cap. 8.* disquirit, quomodo & quando luctus minui solet, ad quem brevitatæ studentes B. Lectorem merito remittimus.

§. 9.

Quoniam unusquisque alterum tanti æstimare debet, quantum meretur, nec non eidem promeritum honorem & laudem tribuere tenetur WOLFIUS in *Jur. Nat. Part. 1. §. 647. & 648.* sequitur; mortuos etiam à nobis tanti æstimandos esse, quanti meruerunt, atque iisdem promeritum honorem ac laudem tribuendam esse (§. 2.).

*Officium erga mortuos ratione existimationis atque honoris.*

Hoc officium sese ad mortuos quoque extendere, exinde adhuc clarius liquet, quod nitatur obligatione cognoscendi alios quam involvit notitia sui ipsius WOLFIUS *cit. loc. §. 193.* at hæc æque ex cognitione perfectionum & imperfectionum mortuorum, quam viventium hauriri potest. Licet itaque defunctorum non intersit, hoc officium à te expleri, tua tamen omnino interest, atque propria perfectio urget, ut eidem satisfacias. Hinc CICERO in *Orat. pro Sextio* recte sensit, *apud nos valere debere clarorum hominum & bene de Republica meritorum memoriam etiam mortuorum.* Comprobatur quoque hujus asserti veritas ipso primitivæ Ecclesiæ Christianæ usu, quo singulari veneratione post mortem afficiebantur ii, qui admiranda quadam vitæ integritate & constanti veritatis confessione inclaruerunt, ac glorioso certamine Martyrii coronam consecuti placide in Christo obdormiverunt BOEHMER. in *Jur. Eccl. Prot. Lib. 5. Tit. 45. §. 2. & 3.* Eatenus itaque solum defendi potest uis Monumentorum, Epitaphiorum, Carminum & Orationum funebrium, quatenus inde hic vel alius quisque legitimus intenditur finis *conf. HOMBERGK in Hyp. Jur. Gent. cap. 3. tit. 12. §. 8.* quibus tamen sæpissime modestorum aures offenduntur, propterea quod defunctorum laudes vel ex stoliditate vel aucupandæ superstitiæ gratiæ & favoris causa, vel etiam ex turpis-

B

fimo



fimo lucro supra modum extollantur atque celebrentur, imo haud raro laudi ducatur, quod nullam profus ex rationis di-  
 &amine meretur. Cunque hic abusus in concionibus inprimis  
 funebribus foediffimus sit, graviter quoque in eundem invehit  
 non solum MOELLERUS in seinen geistlichen Erquick-  
 Stunden cap. 277. sed etiam BRUNNEMANN. in Jur. Ec-  
 cles. lib. 1. cap. 6. Membr. 1. §. 23.

§. 10.

Officium de  
 mortuis inju-  
 riis non affi-  
 ciendis.

Cum mortuis honor & laus promerita sit tribuenda (§. 9.),  
 obligatio vero aliquid faciendi simul includat obligationem contra-  
 rium omittendi WOLFIUS in Jure Nat. Part. 1. §. 722. obligamur  
 quoque ad contrarium non faciendum nempe ad honorem ac lau-  
 dem eorundem non diminuendam neque ad eosdem injuriis affi-  
 ciendos.

Viro ingenuo nihil indignius esse judicarunt Veteres, quam eos  
 incessere lingua, qui respondere non possunt, siquidem tam tur-  
 pe hoc habetur, quam cum larvis vel umbris luctari CAMERA-  
 RIUS cit. loc. Cent. 1. cap. 3. pag. m. 45. quapropter CASSIO-  
 DORUS dicit: Claudantur odia cum sepulcris; & CHRYSOSTO-  
 MUS inquit; ut Corvi, vultures, lupi, vulpes & alia foeda animalia  
 cadaveribus delectantur, ita invidi & hypocrytae insectatione mortuorum  
 MATTHIAS in Theatro Hist. lib. 2. pag. 287. n. 7. & 6. ubi si-  
 mul pag. 256. & pag. 288. adducta exempla CAMBYISIS, AN-  
 TONII & CAROLI V. notari merentur. Ipse quoque VIRGI-  
 LIUS lib. XI. Aeneid. v. 104. jam docuit:

Nullum cum victis certamen & aethere cassis;

atque in Libr. 2. Leg. Wisigorb. tit. 1. cap. 8. apud LINDENBROG.  
 in Cod. Leg. antiq. pag. 17. haec non sine ratione disposita inveni-  
 untur: Incassum is, qui vivit, detractionis indefunctum jacula mittit,  
 cum jam defunctus nec institutionibus imbuo, nec increpationibus possit ar-  
 gui, sed quia pro certo illius insana innotescit, qui frustra in non sentien-  
 tem detractionis verba transmittit, id'o idem praesumptor quinquaginta  
 verberibus vapulabit, & praesumptioni sua opportuna silentia dabit.



§. II.

Grato animo erga mortuos benefactores esse debemus. Etenim mortuos tanti æstimare tenemur, quantum merentur (§. 9.), sic quoque defunctos benefactores tanti æstimare debemus, quantum merentur. Cum itaque hoc fieri nequeat nisi repræsentatione beneficiorum acceptorum, qui vero beneficia perpendit, voluptatem ex iis percipit *WOLFIUS in Psychol. emp. §. 11. atque adeo in amorem benefactoris fertur IDEM eod. loc. §. 647. & 649. & grato erga ipsum est animo IDEM §. 784. grato igitur erga defunctos benefactores animo esse debemus.*

*Officium in grato animo erga mortuos benefactores consistens.*

Varia sunt actiones externæ, quibus gratus animus, qui homini internus est, indicari potest, quæque eapropter ceu specialia officia erga defunctos benefactores sub hoc generali officio continentur. Huc enim pertinent constructiones Monumentorum honoris ac Epitaphiorum erectiones, Carmina funebria, Orationes, deprædicationes beneficiorum &c. Nec minus justum est, ut famam defuncti Patroni vel benefactoris ab hominibus nequioribus lacesitam vindicemus ac defendamus. Quapropter injuria defuncto illata heredi illata esse censetur, & ipsi jus eandem vindicandi competit *l. 8. pr. ff. de reliq. & sumt. funer. l. 1. §. 4. & l. 17. ff. de injur.* Cumque porro mortuis referatur gratia in eorum liberis, qui naturaliter pars sunt parentum, & quibus, si viverent parentes, maxime vellent benefieri *GROTIUS de Jur. B. & P. lib. 2. cap. 7. §. 9. n. 2.* Officium pariter erga defunctos benefactores speciale est, ut liberis eorundem beneficiamus, id quod, si adhuc impuberes sint, optime fieri potest, tutelam eorundem suscipiendo, eandemque ex fide administrando.

§. 12.

Suprema voluntates, quæ rationi atque legi naturali haud repugnant, ab heredibus iisque, quæ a defuncto vel legato honorati, vel aliis beneficiis cumulati fuerunt, sunt adimplenda. Defunctus enim Testator vel alterius cujusque ultimæ voluntatis Conditor respectu heredum suorum nec non eorum, quos vel legato honoravit, vel vivens adhuc beneficiis mastravit, est benefactor; Hi itaque erga illum grato esse debent animo (§. 11.). Qui vero erga alterum grato est animo, siue eundem ob accepta beneficia amat, is sollicitus est, ne quid faciat, quod alter

*Officium de adimplendis supremis defunctorum voluntatibus.*



ab ipſo fieri non vult, & ne quid facere omittat, quod alter fieri vult *WOLEIUS in Jur. Nat. Part. 1. §. 1177.* ſupremæ igitur voluntates ab heredibus, iſque, quos defunctos vel legato honoravit, vel vivens adhuc aliis beneficiis maſtravit, adimplendæ ſunt; quæ regula tamen ob legis naturalis immutabilitatem *IDEM in Bil. Pract. Univ. Part. 1. §. 142.* exceptionem admittit, ſi illud fieri nequeat, niſi legi naturali contraria agendo.

Hanc obligationem naturalem agnoverunt Juris Romani Condi-  
tores, provide admodum diſponentes, ut ultima defunctorum  
Elogia, quibus nulla ſuperſtitionis aut ſimplicitatis inhereret labeſ,  
omni ex parte firma habeantur ac rata *l. 12. §. 4. l. 14. §. 5. ff. de rel. & ſunt. fun. & l. 5. Teſt. quemad. aper.* Merito quoque  
*JUSTIANUS IMPERATOR in §. 1. J. de fideic. hered. inſi- gnem perſidiam,* quæ hic non fidei datæ violationem, ſed fidei à  
teſtatore electæ fruſtrationem denorat, iis tribuit, qui quondam  
adimplere recuſabant, quæ ipſorum fidei à defuncto erant com-  
miſſa; *Voluntatem enim defunctorum bonis heredibus intellexiſſe pro- jure, imo jure antiquorem eſſe dixit PLINIUS lib. 4. Epift. 10. & lib. 5. Epift. 7. conf. HOMBERGK. in Hyp. Jur. Gent. cap. 3. tit. 12. §. 6.*

§. 13.

*Officium de-  
ſervandis pro-  
miſſis legiti-  
mis mortuis  
datæ.*

*Promiſſa legitima mortuis ante obitum data, ut poſt mortem adimpleantur, ſunt ſervanda.* Juſtus enim promiſſa legitima ſervat *THÜMMIG. in Inſtit. Phil. Moral. §. 598.* Sed Juſtitia eſt perfectio animæ ac virtus moralis *IDEM cit. loc. §. 596.* promiſſa igitur legitima mortuis ante obitum data, ut poſt mortem adimpleantur, ſunt ſervanda (§. 2.).

Eo turpior eſt perſidia, quæ violatione ejuſmodi promiſſi com-  
mittitur, quo certius eſt, ea, quæ poſt mortem noſtram fieri vo-  
lumus, plerumque Amicis noſtra opinione optimis demandari,  
nec minus eos, qui fidem ſuam ita obligant, talia promiſſa ſub  
ſpecie ſingularis Amicitiaæ dare. Similis perſidiaæ ſpecies, quæ  
videlicet in depoſito, mandato, ſocietate ac tutela committitur,  
tam turpis viſa fuit Legislatoribus Romanis, ut eandem infamia  
juris notandam eſſe cenſuerint *l. 1. & l. 6. §. 5. & ſeq. ff. de his  
qui not. infam.*

§. 14.



*Sepultura* est actus, quo cadaver hominis è conspectu viventium, Definitio s*e*pulturae.  
ut corrumpatur, removeretur.

In hoc latiori significatu *sepultura* sumta non solum inhumationem, sed etiam concremationem & immisionem in aquas nec non aservationem in Monumentis vel arcis complectitur, quos atque insuper alios diversarum gentium mores in sepeliendis, condendis & tractandis defunctorum Corporibus recentet ALEXANDER ab Alex. lib. 3. gen. dier. cap. 2. conf. quoque MONTANI denckwürdige Gesandtschafften an die Kaysern von Japan pag. 347. devorationem vero mortuorum antiquis Scythis, Sidonibus & Americanis usitaram pro *sepultura*, sine ejusdem cessante, & maxima fere cadaveris parte remanente, ne secundum datam quidem definitionem habere possumus, quam anthropophagiam examinat WOLFIUS in Jur. Nat. Part. 1. §. 385. & seq.

*Cadavera hominum sunt sepelienda.* Etenim *Cadavera hominum* conspectui viventium relicta superstitibus Amicis tristitiam augent, & conservant, atque his æque ac aliis horrorem nec non foetore, quem emittunt, tedium insigne creant, imo multitudine sanitati insidias fruunt, atque morbos contagiosos generant. Cum vero tristitiæ aliisque affectibus molestis ob mortem Amici non sit nimis indulgendum (§. 7.), tædia porro sensualia sint evitanda, ac omnes morborum causæ sollicitæ præcavendæ WOLFIUS in Tr. Von der Menschen Thun und Lassen §. 447. & 471. *Cadavera* quoque hominum è conspectu viventium sunt removenda, adeoque sepelienda (§. 14). Officium s*e*peliendis mortuis.

Intuitu obligationis sepeliendi mortuos diversæ prostant veterum æque ac recentiorum Philosophorum sententiæ, de quibus prolixè disserit GROTIUS de Jur. B. & P. lib. 2. cap. 19. eandem ex Jure Gentium voluntario derivans. Argumenta vero, quæ passim pro stabilienda hac obligatione afferuntur, sigillatim sub incudem revocavit THOMASIIUS in Jurispr. div. lib. 3. cap. 10. §. 6. & seq. atque intuitu plerorumque ingeniose admodum ac solide evicit, ea minime stringere, nullumque ad rationis trutinam



appensa habere pondus. Nobis tamen extra omnem dubitationis aleam ob rationes adductas positum esse videtur, obligationem sepeliendi mortuos esse naturalem, fundamentum in officiis viventium erga se ipsos habentem. Quapropter nostro iudicio *SENECA de remed. fortuit. non defunctorum causa sed vivorum inventam esse sepulturam, ut Corpora visu & odore facta amoverentur, recte iudicavit, atque libr. 5. de benef. cap. 20. publicam hic subesse humanitatem cum QUINTILIANO Decl. 6. statuit. Hinc iure Hebræorum etiam hostes sunt sepeliendi, ne mortuus quisquam expers terræ jaceat SELDENUS in Jur. Nat. & Gent. juxta disc. Ebraeor. lib. 6. cap. 16. pag. 783. & L. TARQUINIO SUPERBO cognomen facta indiderunt, quia socerum gener sepultura prohibuit, LIVIUS lib. 1. Hist. n. 49. superbum autem vocari, gravissimum erat contumeliæ genus TESMAR. in Grot. de Jur. B. & P. lib. 2. cap. 19. §. 1. not. e. Merito proinde à CICERONE in Quest. Tuscul. cap. 43. notatur DIOGENES, se inhumatum projici jubens, quamvis, EODEM referente, ad incongruam objectionem Amicorum: Volucrisne & feris? Convenienter admodum responderit: minime, sed bacillum prope me, quo abigam, ponitote: his vero respondentibus: Qui poteris? non enim senties; hæc adjiciens: Quid igitur mihi ferarum laniatus oberit nihil sentienti. Imaginem quoque hujus Juris & officii naturalis, mortuis ratione sepulturæ debiti, in quibusdam Brutorum speciebus conspiciamus, si VIRGILIO, qui ita de Apibus lib. 4. Georg. v. 255.*

- - tum corpora luce carentum

*exportant telis, & tristia funera ducunt*

cecinit, & PLINIO de Delphiis, quod conspecti jam sint defunctum portantes, ne laceraretur à belluis lib. 9. Hist. Nat. cap. 8. & de formicis, quod sepeliant inter se viventium solæ præter hominem lib. XI. cap. 30. restanti, nec non eandem religionem Elephanto, hirundini & urlo attribuenti TZETZES cit. ab HARDUINO in not. ad Plin. eod. cap. 30. n. 11. fides haberi poterit. Ipse vero sepulturæ finis exigit, ut eadem neque justo tardius, quo insignis foetor excitatur, & singulis fere momentis adaugetur, neque justo citius, ne sepeliantur, in quorum corporibus anima adhuc delitescit, suscipiatur BOECKELMANN de jure sepult. Thes. XI. atque ut sepulcra justam habeant profunditatem CARPZOV. in Jur. Consist. lib. 2. tit. 24. def. 373. n. 11. 12. & seq. nec non ab urbibus oppidorumque moenibus arceantur. Quare optimo maximo jure morem sepeliendi in templis, evoluta prius ejusdem origine, acriter his verbis perstringit

GUND.



GUNDLING. in *Observ. Sel. Tom. I. obs. 6. §. 7.* Ita lucri bonus odor ex re qualibet : ita sanitatis tot hominum in templa & loca sacra coeuntium nulla plane ratio habetur, dummodo ex solvatur. quod petunt & loculi repleantur sancti.

§. 16.

Quia per concremationem cadaverum insignis foetor excitatur, cujus minuendi causa apud Romanos quondam moris fuit, ut pyrae cupressu circumdarentur SALMUTH, in *not. ad Panciroll. Res memor. lib. 1. Tit. de exeq. mort. pag. m. 72 §.* per immersionem vero cadaverum humanorum, morbo inprimis contagioso infectorum, flumina & aquae immundae redduntur, atque inde non solum, sed foetidis etiam exhalationibus praecipue, si illorum plura in flumen, rivum, vel paludem injecta fuerint, varii generis morbi facile oriri queunt, nec non aquis supernatantia cadavera horrorem aspicientibus producant, è contrario per inhumationem vel asservationem cadaverum in monumentis haec atque id genus alia incommoda evitantur: sequitur; hos modos sepeliendi illis praestare (§. 15.) adeoque etiam rationi atque legi naturali, ad id, quod altero melius est, praefendum nos obliganti WOLFIUS in *Phil. Pract. Univ. Part. 1. §. 192.* magis convenire.

*inhumatio vel asservatio cadaverum in monumentis reliquis sepeliendi modis est praefenda.*

Ea quoque de causa & convenienter Edicto divino : *Corpus ex terra ortum terra deberi;* apud Christianos sola inhumatio vel asservatio cadaverum in monumentis, quae sub illa commode comprehendendi potest, in usu fuit, atque ordinarium sepeliendi modum secundum LUCANI illud *lib. 7. circa med.*

- - - Capit omnia tellus quae genuit

constituit. Hinc JUSTINIANUS, annotante HENRICO VALESIO in *annot. ad Ammian. Marcell. lib. 19. pag. 161.* in foedere cum CHOSROE inito cavendum esse iudicavit, ut Christianis in Perfide positus liceret mortuos humo condere, eisque more Rom. iusta facere. CECROPIS quoque iam lex erat: *Mortuum terra humato;* nec ipsum cremare, animadvertente PLINIO in *Histor. Nat. lib. 7. Cap. 54.* apud Romanos fuit veteris instituti; terra condebantur; at postquam longinquis bellis obrutos erui cognovere, tunc institutum. Ratione injectionis cadaverum in flumen vero in *Capitulari DAGOBERTI Regis Tit. 18. cap. 2.* apud BALUZ. *Tom. 1. pag. 136.* cautum erat: *si quis liberum occiderit furtivo modo, & in flumen ejecerit, vel in talem locum, ut cadaver redire non*

non



non quiverit, quod Bajuvarii *murdridam* dicunt, inprimis cum quadraginta solidis componat, eo quod funus ad dignas obsequias reddere non valet; postea vero cum suo *Werigeldo* componat. Neutiquam proinde adfliculari possumus HOHEISEL. in *Diss. de merc. corp. hum. Part. 7. §. 8.* concremationem cadaverum, humationem & immissionem in paludes ex æquo approbanti, & determinatu difficile esse existimanti, uter modus sepeliendi alteri sit præferendus.

§. 17.

Officia circa  
apparatus fu-  
neris, ejus cu-  
ram, comita-  
tum & surro-  
gatus.

Cum præterea mortuis promeritus sit tribuendus honor (§. 9.), atque gratus erga defunctos benefactores animus actionibus quibusque externis, quantum fieri potest, signicandus (§. 11.), in funere quoque status & dignitatis mortui ratio habenda erit, illudque inprimis Amici iique, qui beneficiis à defuncto exornati fuerunt, comitari, ejusque curam habere, nec non debitos sumtus; deficientibus bonis hereditariis, in illud impendere tenentur.

Suo quoque exemplo horum officiorum necessitatem comprobant Patriarchæ *Genes. 23. v. 6. & 19 cap. 25. v. 8. & 9. cap. 35. v. 19. & cap. 49. v. 32.* & exequias inprimis gentes vocarent *supremum honorem* quo pertinet *VIRGILIANUM* illud lib. XI. *Æneid. v. 25.*

- - - - - Decorate supremis  
Muneribus - - - - -

Neque diversa sunt, quæ in legibus Romanorum de sepultura secundum dignitatem defuncti ordinanda, cura ejusdem habenda, atque sumtibus impendendis sancita reperiuntur *l. 12. §. 4. 5. & 6. l. 14. §. 16. l. 22. 23. 27. & 28 ff de reliq. & sumt. funer.* Equitatis proin & justitiæ plenissima est dispositio *INSTR. PACIS WESTPH. Art. 5. §. 35.* ut, siue Catholici siue Augustanæ Confessionis fuerint subditi nullibi ob Religionem despiciantur habeantur, multo minus publicis cæmeteriis honore sepulture arceantur; quod tamen Capitulum de honore sepulture, quanquam ejus generis sit, ut servari maxime posset & deberet, apud Pontificios pessima fide servari notat *HENNINGES in Medit. ad h. art. not. e.* Contraversiam vero hac de re agitaram recenset *FABER in seiner Staats-Canzley Tom. 5. pag. 6. & seq.* Pudeat quoque *CARPZOVIVM* in *Jurispr. Consist. lib. 2. def. 383.* docuisse, Catholicos, Calvinistas & alios Lutheranæ Religioni haud addictos honeste quidem esse sepeliendos, sed conluetos ritus temperandos, omni



omni pompa remota. Verum enim vero plura in apparatu fune-  
nerum apud diversas gentes olim in usu fuerunt, & hodie adhuc  
passim in usu sunt, quæ justam merentur censuram. Quam pom-  
posæ ac sumtuosæ fuerint multisque vanitatibus ac ineptiis impli-  
catæ Exequiæ apud veteres Romanos, ex Scriptoribus antiquis  
evolverunt PANCIOLO & SALMUTH. *cit. loc.* De funeribus  
quoque veterum Gallorum ita testatus est JULIUS CÆ-  
SAR de Bello Gall. lib. 6. Funera sunt pro cultu Gallorum magnifi-  
ca & sumtuosa; omniaque, quæ vivis cordi fuisse arbitrantur, in ignem  
inferunt, etiam animalia; ac, paullo supra hanc memoriam servi ac  
clientes, quos ab iis dilectos esse constabat, justis funeribus confectis,  
una cremabantur. Quam longe porro Germani à prisca funerandi  
simplicitate desciverint, mores plerorumque Germaniæ locorum  
manifesto produat collati cum Testimonio TACITI de mor.  
Germ. cap. 27. Funerum nulla ambitio. Id solum observatur ut corpo-  
ra clarorum virorum certis lignis crementur. Struem rogi nec vestibus  
nec odoribus cumulant. Sua cuique arma, quorundam igni & equus ad-  
jicitur. Sepulcrum cespes erigit. Monumentorum arduum & operosum  
honorem, ut gravem defunctis, aspernantur. Comburendis vero, ut  
animadvertit ab ECKHART in Comment. de Reb. Franc. Orient. Tom.  
1. lib. 23. §. 24. capita prius amputata fuerunt, ut cruenta mortui esse  
viderentur, quod in altera vita sibi profuturum putabant. Sequentibus  
tamen temporibus Germanos suorum cadavera in colle sepelivisse, Princi-  
pum sæpe in frondosis arboribus, præsertim quercinis, tanquam locis sacris  
numinibus consecratis suspendisse ex Olao Magno lib. 16. cap. 37. obser-  
vavit GUNDLING, Tom. I. Observ. Sel. 6. §. 8. Laudandæ ita-  
que sunt leges tam Atticæ quam Lacedæmoniorum, inprimis ve-  
ro hæc: Cum mortuo nihil inhumetur; sumtus funerum excrescen-  
tes coercentes, quas vide apud HOFFMANN in Hist. Jur. Vol.  
2. Part. I. pag. 113. & seq. pag. 123. Notatu quoque eapropter  
est dignissima lex decemviralis: Ne facito rogam ascia, ne polito;  
quam ita explicat SALMUTH. *cit. loc. pag. 725.* quod rogi ex  
incompositis impolitisque lignis sine arte simul congestis fieri, non



autem ascia adhiberi debeat, quæ fabricorum materiæ doliabra est, & instrumenti genus, non solum poliendis lignis sed etiam construendis connectendisque aptum. Quæ porro cohibendorum immodicorum funeris sumtuum causa legibus nostris Imperii provide admodum cauta dispositaque sint, de iis vide *Reichs-Polizey-Ordnung de Anno 1548. & 1577. tit. 15. §. 1.* De Solutionibus vero sepulcrorum & injustis Clericorum extorsionibus, in funeribus exercitis, quæ ne hodie quidem apud Protestantés profus exulant, conferri merentur *GRAVAMINA Statuum Imperii contra Papam de Anno 1522. cap. 66. in GOLDASTI Reichs-Satzungen Part. 2. cap. 66. pag. 215.* Sicut vero sumtus funeris immodici atque inutiles rationi repugnant, & hominibus simplicioribus adscribuntur in *l. 14. §. 5. ff. de relig. & sumt. funer.* ita quoque intuitu eorum in defectu non est peccandum, neque nimis parce agendum *cit. l. 14. §. 10.* atque huc pertinet testimonium *TACITI lib. 16. Annal. cap. 16. quod exequiis separentur à promiscua sepultura illustres.*

§. 18.

*Sepulcrorum violatio est actus sepulturæ contrarius.*

*Definitio violacionis sepulcrorum.*

Justitia hujus definitionis evincitur ac probatur diversis casibus, qui in *LL. ff. & C. de sepulc. viol.* ad sepulcri violationem referuntur; crimen enim sepulcri violati committitur, dolo male corpora sepulta, aut ossa vel reliquias extrahendo vel contrectando, sepulcrum inhabitando, in eo ædificium ad alium, quam sepulcri usum, habendo, Saxa, marmora vel columnas auferendo, ornamenta & monumenta deformando, aliudve quid detrahendo, demoliendo, terram evertendo, cespitem evellendo, vel quovis modo sepulcri conditionem deterio-

red-



reddendo l. 3. pr. §. 6. l. 7. ff. l. 4. & §. C. cit. Tit. *conf.* LAU-  
TERBACH, in *Colleg. Theor. Pract. eod. Tit. §. 1.*

§. 19.

Quoniam porro cadavera defunctorum sunt sepelienda (§. 15.) *Officium de non violandis sepulcris.*  
& inhumatio eorundem aliis sepeliendi modis præferenda (§. 16.)  
omnis vero lex præceptiva continet prohibitivam contrarii WOL-  
FIUS in *Jur. Nat. Part. 1. §. 722.* Sepulcra quoque violanda non  
sunt (§. 18.)

Quæ vero poenæ jure Romano in violatores sepulcrorum sint  
statutz, & hodie adhuc obtineant, docent CARPZOV, in *prax.*  
*Crim. p. 2. qu. 83. n. 53. & seq. & TITIUS in Jur. priv. lib.*  
*§. cap. 2. §. 7. & cap. 5. §. 24.* Nec veteres Germanorum  
Legislatores hanc temeritatem impunitam esse siverunt *conf. tit.*  
*17. Leg. Salic. apud. ECCARD. in leg. Franc. pag. 40. & 41.*  
nec non LINDENBROG, in *Cod. leg. antiq. pag. 273. & lib.*  
*1. leg. Longobard. tit. 12. apud EUNDEM pag. 537. ut & tit.*  
*54. leg. Ripuar. apud EUND. pag. 460. & lib. 3. Constit. Sicular.*  
*tit. 60. apud. EUND. pag. 821. add. omnino B. HEINECCIUS*  
*in Elem. Jur. Germ. lib. 2. tit. 28. §. 340. & seq.* In alia  
propterea, nulla habita humanitatis ratione, abit Jus Canonicum  
intuitu Hæreticorum atque infidelium, quorum cadavera in loco,  
ubi ecclesia est consecranda, vel in coemeterio ecclesiastico tumu-  
lata evelli atque exhumari & ab ecclesiastica sepultura procul nec  
non, secundum inepti GLOSSATORIS interpretationem, tan-  
ta distantia, ut voces Clericorum cantantium non possint exaudiri, ja-  
stari debent c. 27. & 28. de consecrat. dist. 1. & cap. 12. X. de  
sepult. conf. ZIEGLER, in *not. ad Lancel. Instit. Jur. Can. eod.*  
*Tit. §. 10.* Eò quoque Anno 1532. impius atque inordinatus



Episcopi Londinensis Zelus, animadvertente BURNETO in *Hist. Reform. Anglic. Part. 1. lib. 2. pag. 96.* processit, ut Wilhelmum TRACIUM exhumari jussit, quod neglecto ordinario & consueto Testamentorum stylo: *Animam meam Deo omnipotenti, Beata Virgini Maria & omnibus Sanctis in Coelis commendo*; in testamento suo animam suam soli Deo per JESUM Christum commendans neque adminiculum Sanctorum neque preces pro anima sua fundendas petierat. Ubi è contrario THEODORICUS Rex in *Constit. 98. apud GOLDAST. in Constit. Imper. Tom. 3. pag. 58.* manus quidem à cineribus defunctorum abstinendas, sed Thefauros in sepulcris latentes sub publica testificatione indagandos, atque indagatos compendio publico vindicandos esse voluit, addita hac speciosa ratione: *Edificia tegant cineres, columna vel marmora ornent sepulcra, talenta non teneant, qui vivendi commercia reliquerunt. Aurum enim sepulcris juste detrahitur, ubi Dominus non habetur: imo culpa genus est, inutiliter abditis relinquere mortuorum, unde se vita potest sustentare viventium.*

§. 20.

Regula, cujus recordatio faciliore reddat executionem officiorum erga mortuos.

Quemadmodum tandem intuitu officiorum erga alios in universum homines, ut eo promptius atque lubentius eadem expleamus, singularem habet usum recordatio Regulæ summi optimique MAGISTRI nostri *Matth. cap. 7. v. 12. Quod tibi fieri vis, idem alteri feceris, & quod tibi fieri non vis, idem nec feceris alteri*; ita non minus hæc regula commendanda est promte ac lubenter officia erga mortuos in (§. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 15. 16. 17. & 19.) stabilita exercituris, atque iisdem satisfactoris, quippe quæ ad hæc specialiter hoc modo applicari potest: *Quod tibi post mortem tuam fieri vis, idem quoque mortuis facias, & quod tibi post mortem tuam fieri non vis, idem nec mortuis facias.*

T A N T U M.





50 2644<sup>1</sup>

ULB Halle 3  
005 461 74X











<sup>34</sup>  
SPECIMEN <sup>480</sup>  
JURIS NATURALIS  
OFFICIA HOMINIS  
NATURALIA  
ERGA

MORTUOS

COMPLECTENS;

QUO

Illustris GYMNASII Hanoviensis

Dn. PROFESSORIBUS dignissimis meritissimisque  
NEC NON

CIVIBUS ejusdem optimis

VALEDICIT

Perpetuamque sui, ceu Collegæ & Doctoris quasi demortui, memo-  
riam commendat,

CATHEDRAM

Quam per duodecim &, quod excurrit, annos occupavit,

Fr 2644 <sup>1</sup>/<sub>2</sub> CUM

TRIBUNALI

COMMUTANS

JOHANNES HENRICUS WOLFART

J. U. L.

HANOVIAE, Typis Viduae JOH. CHRISTORH. GEBAUER.  
MDCCLIV.